



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. X. Capra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM

LIBER X.

DE IIS QUÆ PER GREGALIA QUÆ-
DAM SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD LACTANTIUM PTOLEMÆUM NOBI-
LEM SENENSEM.

REGALIIUM nonnullorum significationes ex Ægyptiorum Aditis erutas, super quibus multa, literatissime Lactanti, apud egregie probum virum Hieronymum Mandolum Picolomineum con-
nantes in amanissimis ejus horiis, locuti fuimus, ut in commentarium redigerem suasisi: quod
argumenti miritas lectionem hanc faceret non injucundam, & ut addebas, etiam optabilem, quod
super his Græci pauca admodum dixissent, Latini vero pene omnes hujusmodi scientiam propemodum
ignorassent: minime quidem hi atque illi tacituri, vel rem adeo doctam in tenebris & situ computrescere
permisissari, hæc si disciplina tunc cognita fuissent. Quota enim ea portio est, quam vel Tacitus, vel Ammia-
nus, vel Macrobius, & si qui alii talia curarunt, vix primis libatam labiis attigerunt? Suasus igitur incitatus
tuo, quascunque hic & illic comperissem, & ex veterum præcipue numis potius quam ex libris didicissem,
in usum tantum esserabam meum, quod Principes, quos colimus, hujusmodi antiquitatum cognitione de-
lectari plurimum animadvertentem, ut scilicet pro re, que nasci posset, interdum haberem quod super his
non inepte neque imperite dici videretur: quadam enim omnino hujus generis esse mihi persuadebam. Po-
stea vero quam & tu, & Bartholomeus Carolus Picolomineus, neque non Marius Bandinus sodales tui,
tam emuncta naris viri, quig, una conabant, egregie ipsi quoq, literati, industriam, studiumq, hoc quale-
cunque meum commendare cepisisti, tuq, præclarator, qua scitu jucunda in veterum numis observata, ex-
plicasset, essentq, omnes eo in argumento facti attentiores, facile impetisisti, imo, ut verius loquar, perpu-
listi, ne istiusmodi rei curam, qua omnium literatorum ingenia videretur oblectatum, desererem. Ajebas e-
nim Latinos hæc scilicet in re Græcis inferiores esse, quod præter Marcum illum Farronem, & nostrum Plin-
nium, vixq, alterum ab eo, neglexisse quodammodo visi fuerint eruditionem, quam Græci tam veteres
quam juniores tanto studio amplexi sint, ut ne levissima quidem contempserint, & ita res tam publicas
quam privatas minutissime perquisierint, easq, memoria commendare nequaquam erubuerint, ut nihil in
protritū, curtiūq, etiam scriptis præterierint, cujus aliquam non habuerint rationem: hinc magnā antiqui-
tatis tam in verbis quam in rebus cognitionem, ad nostram usque ætatem pervenisse. Fuisse nostros severio-
res, & sublimium tantum meteriorum amatores, accideretque hinc, ut eorum multa, qua ad ritus, ad mo-
res, ad rem domesticam ad negotii quotidiani usum faciunt, per nostrorum incuriam incognita nobis sint:
per Græcorum vero diligentiam, quæ tam Latinorum quam suorum res perquirentes nostra obviam serint
negligentia, plurima noverimus, quorum neminem eorum, qui nunc eruditi habentur, penitere possit: &
que plurima in hanc sententiam differuisti. In hoc igitur studium cum quantum per occupationes meas li-
cebat, avidius incubuissem, multa conscripsi commentaria, qua tamen emendare non potui, quod principi-
um virorum, quibus addidit enim negotia qua tractabam, inceptum opus sapius interrumpere, cogitatio-
nesq, meas alio omnes avortere. Et quia te in primis impulsore factum hoc est, necesse quoque tibi fuerit
horum partem recognoscere, polire, castigareque: ne vel ego tibi frustra paruerim, vel tu, vir admodum
gravi, rem nibili consuluisse videaris. Quæ tibi obvenerunt, ea sunt, de quibus sermo tunc noster fuit; cum
vir rarissimus Ermiiscus Bandinus Archiepiscopus vester numismata in agro suo nuper inventa magno nu-
mero, in mensam nostram iussisset effundi, in quorum bona parte Hirci, Oves, Aristes signati erant:
traxere hæc reliquum regem, ut una viderentur caula poss commode coerceri.

DE

DE CAPRA. CAP. I.

Hic igitur prima de Capra consideratio, quoniam ea vago lascivoque admodum ingenio prædita, & vorandi aviditate hac illac cursitans, locoque stare nescia, è grege prima omnium prodiit,

AUDIENDI PROMPTITUDO.

CAP. II.

A Plin. lib. 8. c. 50. **H**ominem auditu præpollentem Ægyptii hieroglyphice significare si vellent, Capram ponere soliti sunt, quam per aures perinde atque per narès spiritum & emittere, & vicissim recipere una cum Ægyptiis tam Archelaus quam Alcmaeon auctores gravissimi prodidere: quamvis opinionem hanc maxime reprobatur Aristoteles, humanamque diligentiam id nulla adhuc dissectione deprehendisse, aut sensu aliquo evidentiore conijcere potuisse, firmiter asseverat: Ægyptiis tamen commentum placet.

CONSTERNATIO MULTITUDINIS.

CAP. III.

Caprarum grex astutus. Plin. ibid.

Sunt qui multitudinem uniuscujusque casu consternatam obstupescantque indicare volentes, Capram villosa mento dependente comprehensam pingant. Accidit enim, ut si earum unam ex grege aruncum eo apprehenderis, cætera stent veluti stupida, suos in illam unam oculos conijcientes. Sunt vero qui loco hoc modo Eryngium, modo Moly, vel Origanum etiam querant: quem caulem si Ovis Capellave pascendo avulserit, & in sublimi conspicuum erexerit, grex reliquus abjecta pabuli cura attonitus reddatur: neque prius pabuli memor fiat, quam caulis ille à pastoribus ab ore pecudis abstractus abijciatur. Cujus fabulæ auctores etiam citant Aristotelem & Plutarchum. Nos Hieroglyphicum de apprehensa Capræ barba, quam Opius Aurelius Spirillum vocari dicit, aruncum Plinius ex Naturali historia defumpsimus.



PRO VITIBUS SACRUM. CAP. IV.

In Corin. thiaci. Præsertim vitibus ex Plin. ibid.

Quid autem sibi vellet hieroglyphicum aheneæ Capræ inauratæ, quam Philiasii tanto cultu præsequantur, ut illi etiam preces allegarent, Pausanias declarat. Quippe cum manifestum sit, quod ne id accideret, ea potissimum ratione caveri posse judicant. Animal porro id cum sit ex domesticis omnibus damnosissimum, lege in Acropolin Athenis adire prohibitum, morsu noxio universa gemina abrodens, & ut more Jurisconsultorum, ac pratorii edicti loquar, pauperiem faciens Alii Baccho Caprum ob hoc mastare maluerunt: ut pestia quæ morsu pestilenti vitibus maxime nocet, immolata, Deum vitibus conciliaret. Nam & Afcolia sacra, de quibus Virgil. *Unctos saliere per utres*, ea de causa Baccho sunt instituta: quia utres ex hircinis caprinisque pellibus fieri consueverunt. Quoniam vero Capræ vitem abrodens eam veluti veneficio vitiat, excogitatum est in Bacchi gratiam id in utres ludibrium, ut scilicet eos flatu tumefactos per humum disponderent, superque eos saltationibus lascivirent, unde lubricitate pellis suoapte pingui delibutæ pingues identidem fallerentur, precipitesque saltatores, sine ullo tamen incommodo, conciderent, effusumque omnium risum excitarent. Eadem antipathia causa dictum à Virgilio autumant:

Et in veribus torrebimus extra columnis.

Georg. lib. 3.

Corylos enim vitibus vicinitate sua nocere, experimento compertum est: quamvis Festus columna hastilia ex corno abore facta potius, quam ex Corylo velit. Contra vero inventum est ex tam pestilente in vites animali maximam capere utilitatem, ejusque beneficio augeri vindemiam: siquidem apud Africanum legas, cornua Caprarum numero tria circum arborem, cui vitis maritata sit in terram affigi, acumine deorsum immisso, ore cornuum supra terram paululum extante, ut pluvia, velut

A in vas infuere possit, id factum uberrimæ fertilitatis in vitibus auxilium esse. Nihil fecius, ut idem Africanus author est, non morsus tantum vitem lædit, verum pulmo etiam ejus contra vini vim arma capit si aſsetur, & ebriosa cuiquam in cibum detur: efficit enim ut vapor ille, qui temulentiam inducit, retundatur, inaniterque diffusetur & evanescat. Quin etiam hircinus adeps, quo falx putatoria obuncta fuerit, ne pediculi in vite generetur, prohibet, ab eodem proditum Africano.

UNIVERSA MUNDI MACHINA. CAP. V.

Hieroglyphicum erat & Panis signum, ex quo tota mundi machina intelligebatur: capripes enim erat, humana reliquum effigie. Inferior ea pars terram hirtam & hispidam ostendebat, humana vero lævitas atque mollities, tranquillum & defecatum æthera, mundi ipsius ducem. Huic insuper illa in Nymphas procacitas attributa, & numquam satiata libido: mundus

B siquidem assidue rerum species progenerat, & humore plurimum utitur, materia quippe generationi in primis & apta & commoda. Quare simulacrum Panos tam sylvis & agris, quam hortis & fontibus & puteis ut tutelaris apponebatur. Commentitium verò est, quod Pana nonnulli ita dictum arbitrantur, quia Penelopes & totius turbæ procorum filius fuerit, qua in sententia Theocritiana est apostrophe ad Penelopem, *Syringe, Ἰοὺν τῆς Ἰδυμνῆα*, quem quidem Epimenides ex Jove & Callistone genitum asserit, poematibus: gemellos enim fuisse Pana & Arcada. Sed Aristippus in Arcadico, Jovis & Nymphæ Aneidos prolem agnoscit. At qui veterum fabulas speciem quandam esse Philosophiæ autumant, delitescentem in illis doctrinam ita solent explicare, ut Pana ideo dici velint, quod, uti monueramus, simulacrum ejus universi naturam exprimat: forma enim ejus quascumque tuemur accommodata est. Cornua siquidem & Solis & Lunæ similitudinem esse perhibent. Nam alibi cum de Moyse loqueremur, radiatam ejus faciem pro cornuta à nonnullis acceptam ea de causa docuimus, quod apud Hebræos radius & cornu sint univoca. Pantheræ pellem, stellarum, ut Probus arbitratur, ut quidam alii, simulacrum esse terra: quæ mira sit varietate conspicua: inferioris partis villos omnium terra nascentium imaginem haberi. Fistulam, spirantium in orbe toto ventorum imitationem: Caprinam faciem, repentinas procellarum turbationes, quæque toto aëre sunt mutationes, indicare. Jam per femora hirta, sylvosa loca, per crurum exilitatem, montium abrupta figurari. Sunt qui falcem etiam manu prætentam illi attribuunt, quod dubio procul labores, quos operibus mortales impendunt, indicaret. De Hirco autem qui Alexandri Macedonis apud Danielem indicium fuerit alio loco dictum. Hic illud potius ponam quod Eucherius tradit, ex Capræ simbolo justos intelligi ex Gentibus præcipue venientes, eoque spectare Salomonis dictum: *Capillatura tua sicut grex Capraru, Cant. c. 4. quæ revelata sunt ex Galaad, sumpta scilicet inde similitudine, quod Capræ de sublimi cibum petunt, veluti pii quæ superne sunt ad animi cibum investigant.*



Pan mundi hieroglyphicum.

LIBIDO. CAP. VI.

Caprinum adhæc genus in Chimæra: Capra enim & Chimæra idem: quippe in nequitia Bellephontis virtute domita, medium tenet, quod libidinis affectum notat, ea videlicet de causa quod hujus generis animal in libidinem & procacitatem fit immodicum, hædosque petulcos eadem ratione dictos à Virgilio legimus. Deque Satyris idem idem capripedibus eadem omnium consensu feruntur, non posse quidem eos libidine satiari. Minime vero fabulosum esse de Satyris commentum, ostendit Plinius, qui illos in Subolanis Indorum montibus inveniri tradit, humana effigie animal perniciosissimum, ut propter velocitatem nisi senes, aut agri capi nequeant. Sed & Paulanias hæc de illis audisse se profitetur, Euphemum quendam probatæ fidei virum, aliquando sibi narrasse, cum in Hispaniam navigaret, adversa tempestate se in exteriorem Oceanum esse delatum, postque multorum dierum navigationem, ad insulas quasdam desertas pervenisse, quas homines

Georg. l. 4.
Plin. lib. 7.
cap. 2.
De Satyris
historia ex
Paulania.

mines ferino trucique aspectu sylvestres inhabitabant, corporibus hirtis, pilorum colore subrufo, caudis equina pene maioribus præditi, qui posteaquam nautas illuc advectos inspexissent, ocyus omnes ad extremum litus accurrere, vocem quidem nullam, sed stridorem quandam informem & inarticulatum emittentes, in fœminas autem quæ navi illa casu vectabantur, eos adeo furiosus invasisset, ut agrè ab injuria etiam casu flagris abigi summo verique potuerint. Veritos vero nautas ne quid indignum paterentur, inhibita navi procul in anchoris stetit, barbaram vero quandam melierem, quam secum habebant, in litus exposuisse, in quam omnes petulantissime debacchantes per omnia corporis cava libidinem exercuerint easque Satyrorum infulas à navigantibus appellari, Euphemus idem asserbat.

FEBRIS. CAP. VII.

Sunt qui febrem ex Capræ simulacro significant: propterea quod animal ideo semper incommodo laboret: hinc anima illi semper ardentior, ita ut attackta pasto exurere videatur. Vehementem vero in quocumque animali calorem, febrem esse, tum Aristoteles, tum alii prodidere. Ea autem de causa in ejus venditione dominus sanitatem præstare minime cogitur, tantum verò sufficere, si eam eo die bibisse comedisseque profiteatur Florentinus, author admodum celebris, qui inter multa quæ reliquit literarum monumenta, etiam de re rustica non incuriose conscripsit, ita semper febricitare Capras ait, ut si quando deficiat febris, intereat.

AUGUSTI GENESIS. CAP. VIII.

Suton. in
Augusto c.
94. hæc ad
verbum.
Augusti
numm.

IN numis quibusdam argenteis Capricorni cœlestis signum hieroglyphice cufum aspicias, indicat id, ut ex Tranquillo didici, Augusti genesis. Nam cum Theagenes Mathematicus, ad quem in festu Apolloniæ una cum Agrippa comite accesserat, genituram ejus inspexisset, exiliissetque & adrasset eum, tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut schema suum vulgaverit, numumque illum argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit. Numum hunc attrecta vi, in quo Capricorni signum est in piscem desinens, quod spheram intra priores pedes positam evolere videtur, ab altera parte Augusti caput.

MERETRIX. CAP. IX.

Nico Attica
meretrix.

UT vero redeamus ad Capram, ea cum pestilenti morsu præcipue noceat, ingenii meretriciæ, convenienti admodum hieroglyphico, symbolum habetur, ab ore quippe cuius damna tot mortalibus inferuntur: nam veluti germina præcipue Capræ pervestigat, quæ depascitur avidissime, ita meretrix cupida est in primis adolescentioris ætatis, utpote quæ ob imperitiam magis idonea sit ut facillime decipiatur. Unde non illepide Nico Attica meretrix αἰζ, id est, Capra cognominata est, quoniam mercatorem adolescentem Thallum, qui in Atticam carias & mel Hymettium empturus advenerat, obligurisset, θαλλός autem germen est: quem lusum haud injucunde Machon ita explicat,

ἐπεκαλεῖτο δ' αἰζ, ὅτι μὲν
κατ' ὄραγ' ἐρρῆν ποτε θαλλόν.

quod nos ita reddidimus:

Nico olim meretrix fuerat, mox Capra vocata
Est, quod amatorem eximium cognomine Thallum
Fortiter absumpsit.

Neque aliam ob causam Capræ lumbi sacrificiis offerri apud Hebræos prohibebatur, nisi quia necesse erat lumbum esse immaculatum, vel, ut alii, integrum, seu ut alii, perfectum. Capra vero cum pro delinquente ponatur, immaculatos lumbos habere non potest.

NEQUITIÆ FACINOROSITAS. CAP. X

MERITO itaque viri libidinosi probra & impudica facinora notare si vellent Aegyptii Sacerdotes, Hircum potius, quam Taurum pro hieroglyphico fingere instituerunt. Taurus enim licet

A licet inguine sit præcipue validus, & in re Venera perpetranda promptissimus, non tamen in scen-^{Tauri &} dit quoad anniculus fiat, neque quidem iuvenca recentior quam annicula Venerem patitur, nisi ^{Hirci Pen-} ostento: Hircus vero septima posteaquam natus est die, ut apud Alianum est, alii septima dixerunt ^{eta libido} hebdomata, rem Veneram aggreditur, improle tamen & infæcundum semen ejiciens, veluti ^{copatur.} Tauri quoque usque ad bimatum: licet alioqui non nisi quadrimos eos generationem implere nonnulli contendant. Sed enim Hircus celerius porro quam quodvis aliud animal in scendit, recteq; ab Horatio libidinosus appellatur, cujus fœcunditatis gratia inter Deos insipienti seculo annumeratus aliquando est, perinde ac Panes & Satyri. Is quippe apud Aegyptios Mendefio civitate multarum & formosarum puellarum collegio curabatur, sacro inclusus fano, cui selectiores Capras non intelligenter educabant: author est Plutarchus. Et Veneris simulacrum, quæ Hirco insideret, Pausanias observavit, non alia de causa puto, quam ob hujusmodi petulantiam. Et Mathematici mulierem nudam, quæ Hircum humero gestet, vigesimo secundo gradui Virginis adscribere, ex eo impudicitiam ejus significaturi, qui gradu eo oriente natus esset. Huic generi brutorum similis fuit Helio-^{Author} gabalus, qui mulieres nunquam iteravit præter uxorem: ille, ut Alexander Severus ait, non solum ^{Lampri-} bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimus. Jam vero Sacræ literæ dum Hircos Hædosque im-^{dium.} molandos monent, nequitiam omnemque libidinem jugulandam indicant, ut interpretatur Adamantius: cujusmodi etiam interpretamentum habes apud Cyrillum, perinde ac etiam reliqua Levitico contenta, ut facile iis accedam, qui opus id adscribunt Adamantio. Hædi autem fere passim in Divinis literis hieroglyphicè pro perditis & nequam hominibus libidinis & aliorum scelerum facinoribus inquinatis designantur: idque manifestissime cognoscitur ex eo, quod Dominus noster consummationem seculi, ut ait Hefychius, narraturus, ovibus à dextera statutis, pollicicus est eis iustorum benedictionem; in hos autem sinistra segregatos, dira illa omnia, quæ in profligatissimum quemque decernuntur, comminatus est. Ita vero pro sceleribus Hircus ponitur, ut in Divinis literis statuatur ante aras Hircus vivens, sacerdosque utraque manu super caput ejus imposita confiteatur universas populi iniquitates, delicta admittaque prave & impotenter, omniaque in ejus caput increpans aggerat, mox per hominem certum in inviam desertamque solitudinem emissum deportari jubeat. Illud etiam addunt ad causam, quod asperum gerit pilorum indumentum: asperum interpretantur peccato refertum, atque ita mortale genus omne mysticè per Hircum accipitur, quia nihil est peccato asperius, diceret Hefychius. Sedenim quod de Capro emissario tetigimus, sunt qui eum signum esse velint profugarum legionum, quæ à Deo defecerunt quæq; in sceditatem & horrorem damnatæ in omne seculum, ceciderunt.

DIABOLUS. CAP. XI.

A DAMANTIUS itaque Hircum ait Diaboli symbolum esse, ubi ita interpretatur: *Cum vero Hircus Di-* ^{Aboli syn-} *ad martyrium duceretur, Hircum obtulisti, quia scilicet auctorem peccati Diabolum jugulasti.* Hinc ^{bolium.} vulgo receptum, ut malo Dæmoni cornua passim attribuuntur. Nequitiam porro per Dæmonem intelligi, in humanicipite Serpente loco suo declaratum est. Jam hirsuta apud Esaiam inuenias genera Dæmonum, hos nonnulli etiam doctissimorum, Incubonos vel Satyros, aut quosdam sylvestres homines putaverunt. Maximus Tyrius, ubi Midæ fabulam scribit, qui Satyrum per insidias cepit, à quo omnia fieri aurea impetrasset, *Satyrum, inquit, ebriosum Dæmonem, infuso in frontem* ^{mero, caprum esse.}

PETULANTIA DOMITA. CAP. XII.

G RÆCI autem Poetæ Caprum ab Hercule domitum ea de causa finxerunt, quod is cum pro-^{Herculis} cacilascivia homines ipsos antecelleret, domitus à virtute, impositum petulantia modum, ex ^{Proculis} tinctosque libidinis æstus, suppressosque procacitatis impetus demonstraret. Nam ejus nequitia ^{libido.} vir fuit, ut triginta una nocte mulieres aliquando feratur iniisse: & ut apud Athenæum est, idem septem diebus quinquaginta filiabus Thestii virginisatem imminuit. Illud de Proculo, qui Probi tempore tyrannidem inuasit, vel ex epistola sua manifestum est, qua se nocte una captivas decem ex Sarmatia constuprasse gloriatur, seque inter fortes annumerari affectat, dum mollitiem suam maxime

xime commemorando manifestat. Quod vero Junioni Capras immolare primus Hercules institue- rit, id ea de causa factum, quod alterius hostiæ sibi facta copia non fuerit, cum ei Deæ sacrificare vel- let, propterea quod sibi adversus Hippocoonta pugnantem adversa non esset, quæ res tangitur à Pausania libro 3. At Lacedæmonii Dianæ cognomento Corythaliæ sacrum in agris facientes, non nisi Caprarum carnes in opsonium adhibebant, neque aliud animal præter id hujusmodi sacris im- molari fas erat. Apud Xenophontem legas, Athenienses, quo tempore Persæ cum ingentibus co- piis Athenas deleturi in eorum fines invaserant, Dianæ votum fecisse, tot ille se Capras immolatu- ros, quot hostes occidissent.

ADULTERÆ CONJUGIS MARITUS. CAP. XIII.

Sumptum videtur ex Odys. lib. 1.

NEque illud inventum adeo novum est, ut nullam sapiat antiquitatem, quod hodie vulgo Ca- prum eum appellamus, qui conjugem habeat adulteram: erat enim & hoc apud veteres hiero- glyphicum, atque illud insuper adagium ferebatur in spurios, si de patre quispiam quaritaret, ut *μῆτις ὡς αἰεῖ*, responderent *Matris quippe, uti Capra, itidem*, utpote qui de patre incertum ferret, propterea quod Capellis nullum duce[m] pastores constituunt, ait Aristot. veluti suos Oribus Arie- tes, suos Bubus Tauros, & ita plerisque aliis. Caprarum siquidem natura instabilis, lubrica, atq; mo- bilis admodum est, quare Hædus in Caprilibus à matre tantum dignosci potest. Merito itaque vir, de cujus liberis uxor tantum possit inter noscere, Hircus appellatur, & *ἰεργυλῶμιως* per Hircum fi- gurabatur. Nam & Catullus in hanc sententiam, *Putere ceteros Hircos*, dixit. Quod vero sunt non illiterati viri, qui diciturum inde sumptum putant, quod Hirci suas femellas iniri facile patiuntur, etiamsi coram spectaverint, ut quem notat Juvenalis cum dixit:

Doctus & ad calices vigilanti stertere naso:

aliter traditum ab Aliano legimus, qui sentire Hircos rivalitatis affectum testatur exemplo Gra- this pastoris Calabri cujus dormientis cerebrum Caper cornibus in eum incitatis eliserit, propterea quod deprehensus esset ab eo cum Capella quam amabat Venerea copula misceri: de quo Probus Georgicæ primo, sed, uti dictum fuit, copiosius Alianus. Rusticum enim & imperitum id genus hominum hac plurimum nequitia famosum invenias, unde jocus apud Theocritum:

Ἀπόλλων ὄνκ' ἐσορῆ τὰς μηκῆδας, οἷα Καπὼν, Apollus inscendi videat si quando Capellas, *τὰς δὲ Φηλιμῶν, ὅτι ἐ τράγ' αὐτὸς ἔγενεθ.* Liquitur obitu, quod non Caper ipse creatur,

Beccum so- cabili anti- qui etymon.

Quod vero vulgo Beccum ejusmodi notæ hominem appellant, quippe cui conjunx sit adultera, at- que etiamnum animal hoc ita vocitent, antiquissimam esse dictionem, in Græcorum habetur com- mentariis. Apud historicos enim legere est: Psalmetichum Ægypti Regem Phrygiorum antiquita- tem, de qua magna inter Phrygas & Ægyptios contentio fuerat, in Ægyptiacis pueris humano om- ni consortio inhibito educatis, eo argumento deprehendisse, quod ex suaapte Bec pronunciarent, quæ vox proprie Caprarum & Hircorum est, eoque vocabulo Phryges panem appellarent. Rostrum vero avium plerisque nunc Italiæ locis, olim vero tota Gallia Beccum nuncupabatur, & beccare passim pro mordere decerpere dicitur. Quasi vero fuerint primitus homines à Capris enutriti, naturaq; ipsa vocem enunciare docuerit, quæ ad alimoniam magis necessaria videretur, id honoris Phrygibus adjudicatum, ut antiquissimi omnium haberentur. Quaque ratione balantes Oves, & latrantes Canes appellamus, eadem illi beccos Hircos vocavere.

DE ORYGE. CAP. XIV.

Observatio Mathematica Ægyptiorum de Oryge.

INter minores Ægyptiis greges Oryx est, quem nonnulli Caprarum adscribunt generi. Hunc lex omnibus animalibus solum adverso pilo esse authores tradunt.

MATHEMATICUS. CAP. XV.

PER hoc animal pictum aut sculptum, Mathematicum hominem hieroglyphicè intelligebant: siquidem Ægyptii, cum Sothen astrum illud suum, quam nos Caniculam appellamus, magno cultu

A cultu prosequeremur, idque die, quo præcipue oriretur, solliciti admodum essent animadvertent, Orygem sideris ejus ortum sentire, atq; etiam clamore edito significare, quasi vel ortum nunciet, vel salvere jubeat. Sedenim eo tempore quo astrum illud oritur, ajunt Capras omnes, quotquot Ægyptus habet conversas ad ortum prospicere, peractamq; ita revolutionē cum fide fieri exploratam, consentireq; in id Mathematicorum supputationes. Quinetiam, ut nonnulli alii tradunt, Oryx stat contra, contueturq; stellam, ac, veluti numen a deesse sentiat, procumbit adorabundus: quare primas illi partes in hujusmodi significato tribuere, cum *συνπρόθετα* tam insignis cum eo fidere animal moveret, & ea viderent ab eo deprehensa, quæ longa mortalium studia non nisi multarum ætatum successu & observationibus per manus traditis, consequi potuere: cæli motu præsertim assidue variante, quadamque veluti trepidatione vacillante.

SOBRIETAS. CAP. XVI.

Habet & id temperaturæ cum Sirio, quod velut ille *sitim semper affert mortalibus* (ut Maro dixit) *Æneid. lib. 10.* **B**rum perpetuo sitientem, imo dixerim ego maxime sobrium, per hujus animalis effigiem significabant: quin & remedia sitientibus ex eo comparabant, liquore quodam in ejus corpore hautus saluberrimi reperto.

DE OVE. CAP. XVII.

Ovis nunc perse quar significata, verum ea non tam ab Ægyptiis, quam ab Hebræis & Græcis authoribus desumpta, quibus nonnulla etiam addemus à Romanis accepta: trahet vero secum hæc dictio Agnum simul & Arietem.

STULTITIA. CAP. XVIII.

In primis autem significatum illud super Ove comperi ut ex ejus simulacro stultitia significaretur: nam usurpatione vulgi Ovis cognomento insipientes appellantur, in quos adagium etiam fertur, *ωρεσθησθε βίον στυ.* De foecordia vero stoliditateque animalis illud in ore omnium, *ωρεσθησθε ηθος, Instar Ovis*, Latini dicunt, quod more Ovium Græci Et Aristophanes, Vespis, ad hujusmodi stoliditatem respiciens, considere ait ovillum pecus in concilio. Quare Accius in somniis ponit ovillum fetum in Tarquinium, concitatum, tanto vero impetu arietantem, ut Regem solo profrenat, quod Brutum indicabat, quem Tarquinius hebetem æque ac pecus esse putabat, nomine etiam ex re, quæ simulabatur indito, cum tamen is pectus egregie sapientia munitum gereret. Sed & Fabius Maximus, quod ab ineunte ætate aliquanto hebetior videretur, quietemque & taciturnitatem adamaret, neque ad capessendas disciplinas promptitudine aut docilitate ulla præditus esse judicaretur, magnamq; de se torporis & insipientiæ suspicionem apud domesticos concitasset, Oviculæ cognomento appellatus est. Porro autem in sacris, cum Ovem offerre Deo admonemur, expertes rationis motus insipientesque cogitationes, & quæcunque per imprudentiam peccavimus, corrigere jubemur, ut admonet Cyrillus: sed longe plenus Origenes. Hinc *προβουλον* appellavit Diogenes virum quendam indoctum, sed splendide vestitum. Nam & proverbium illud, uti superius, *Oviles mores*, de iis qui minimum ingenio valent dictum invenias. Divinæ etiam literæ plerisque locis homines divinæ institutionis expertes, indoctilesque nunc Oves, nunc pecora nuncupant, quod in contemplationis sublimitatem suspicere nequeunt: sed cum soli sint voluptati dediti, ea imitantur animalia, quæ, ut Græci est nominis etymologicum, *ψαλ. 36.*



Oviculæ mores.

Dcunque per imprudentiam peccavimus, corrigere jubemur, ut admonet Cyrillus: sed longe plenus Origenes. Hinc *προβουλον* appellavit Diogenes virum quendam indoctum, sed splendide vestitum. Nam & proverbium illud, uti superius, *Oviles mores*, de iis qui minimum ingenio valent dictum invenias. Divinæ etiam literæ plerisque locis homines divinæ institutionis expertes, indoctilesque nunc Oves, nunc pecora nuncupant, quod in contemplationis sublimitatem suspicere nequeunt: sed cum soli sint voluptati dediti, ea imitantur animalia, quæ, ut Græci est nominis etymologicum, *ψαλ. 36.*

Vellus mureum. Ovis in sacris hieroglyphicum. Psal. 36.

Dcunque per imprudentiam peccavimus, corrigere jubemur, ut admonet Cyrillus: sed longe plenus Origenes. Hinc *προβουλον* appellavit Diogenes virum quendam indoctum, sed splendide vestitum. Nam & proverbium illud, uti superius, *Oviles mores*, de iis qui minimum ingenio valent dictum invenias. Divinæ etiam literæ plerisque locis homines divinæ institutionis expertes, indoctilesque nunc Oves, nunc pecora nuncupant, quod in contemplationis sublimitatem suspicere nequeunt: sed cum soli sint voluptati dediti, ea imitantur animalia, quæ, ut Græci est nominis etymologicum, *ψαλ. 36.*

heretur ab alio, uti Boves, & Oves, quæ animalia sunt insigniter mansueta, eos qui manu trahunt facile sequentia: ideoque non omnium hæc munera, sed Judæorum tantum esse videbantur: propterea quod illis, tametsi virtutis nihil operarentur, sufficiebat tamen nihil iniqui; agere. Atque huc David cum illud citat Hefychius: *Homines & Jumenta sivos facies, Domine*. Neque sum nefcius, pastores Ovium apud Ægyptios ignominia: cujusdam nota, & pene prophanos habitos, quo nomine Apion ut apud Josephum est, Israeliticos populos appellabat: atque ipsi hoc in historia sacra dissimulant. Sed ut simplicitatem illam vivendi, quæ colligitur tam ex nostra, quam ex antiqua gentium pene omnium memoria, prætereamus (certatim enim scriptores omnes primum hoc humanæ vitæ institutum laudibus omnibus ad coelum ferunt) est & mystica interpretatio, qua Ægyptii posteriores ii, qui à priscis illis longe desciverant, non pastores ipsos, sed pastorem significatum odio persecuti deprehenduntur. Nam qui corporis incitationibus, ejusque voluptatibus indulgere sibi permiserit, dubio procul hos, qui recta moneant, quadam velut execratione declinabit. Atque id denique erat in causa, ut abolitis jam antiquioribus illis priscorum sacerdotum institutionibus, qui papyro vigitabant, qui castimoniam & synceram animi puritatem amplectebantur, recentiores mox ex otio & opulentia ad delicias & illecebras prolapsi, in quas cursu effusissimo ferebantur, ceperint pastores hujusmodi pariter aspernari & abominationi etiam habere: utpote qui, ait Horatius, nil vellent ab iis audire, nil discere, nil quod agros levare posset, fidis offenderentur medicis, amicis irascerentur, si quando eos funesta veteri suffocatione arcere properarent. Sic & Cainus pastorem fratrem, hominem quippe pietati addictum, ferre non potuit, cum ipse terrenis tantum affectibus mancipatus esset. Sic passim etiam nunc probi modestique viri à potentioribus ignominiose accipiuntur, scelesti, impostores, parasiti, & ambubaiarum collegia in honore sunt, & quæcumque appetierint commoda consequuntur, atque ita demum.

Potores, bibuli, media de nocte Falerni

Oderunt porreticam negantem pocula, quamvis

Nocturnos jures te formidare vapores.

DOCTOR VIRTUTIS. CAP. XIX.

UT vero ad pastores nostros revertamur, pastorem Ovium Ambrosius interpretari videtur discipulorum rationis, doctoremque virtutis. Et ubi scriptum, *filios Arietum Domino offerendos*, Principes Ecclesiarum exponit Eucherius: & Oves intelligit eos, qui simplici, vera, puraque fide pietatem hanc nostram amplectuntur: de quibus Christus, *Oves mee vocem meam audiunt*, & ad Petrum: *Pasce Agnos meos*. Quo super exclamat Salomon; *Pasce animas pecorum tuorum*: de quibus scriptum est, *Arietes duos in primitiarum sacrificio ad septem Agnos immaculatos, anniculos, & vitulum unum de armento adjici debere*. Præclara quippe mandata diceret Hefychius, & virtutes quas sequi alias velut Oves oportet, ad primam illam oblationem applicandas. Quod vero Aaron pontificalibus jam ornamentis instructus Arietem obtulit in holocaustum, per Arietem, Theologi, ut idem Hefychius, Christum intelligunt immolatum: ille enim ducatum præbere Ovibus euntibus in pasceua, & ad egressum ingressumque; à caulis & in caulis solet: sicut & Christus dux perfectæ conversationis est, à quo videlicet ea sumpsit exordium, atque ideo intrare & exire Ovibus præcipiebat.

INNOCENTIA. CAP. XX.

ANTE alia autem tam Ovis quam Agnus hieroglyphicum est innocentia. Hinc illud apud Cyprianum sapientissime scriptum libro de Livore: *Meminisse debemus, quo vocabulo Christus plebem suam appellet, quo titulo gregem suum nuncupet. Oves nominat, ut innocentia Christiana Ovibus acquætur: Agnos vocat, ut Agnorum naturam simplicem, simplicitas mentis imitetur.*

MANSVETUDO. CAP. XXI.

ET imbellem, purum, simplicem, ac egregie mansuetum hominem, eundemque immaculatum, & pectore candidissimo præditum hieroglyphice significare qui volunt, Agnum pingere consueverunt: id enim mansuetissimum ejus ingenium exposcere videtur. Nam & ipso vocabulo *ovis* puritatem castitatemque significat. Et antiqui sacrificuli auguresque Maximam hostiam ovili pecoris appella-

*Divus ceterarum
curarum
conferenda
1079*

*Aries oblationis
quid.*

Elogia.

IN Hetrusca disciplina observatum invenio, felicitatem ex Ove portendi: præsertim si Ovis infolito colore fuerit, quod mihi Virgilius optime tetigisse videtur, ubi dicit:

Ipsa sed in patris Arvis jam suave rubenti

Murice, jam croceo mutabit veller a succo.

De quo legitur apud Hetruscos: *Purpureo aureove colore Ovis si aspersa fuerit, Principi ordinis & generis summa cum felicitate largitatem auget, genus progeniem propagat in claritate, latioremq; efficit.* Ex quo nata inter greges Atrei aurea Agna, principium discordiarum illi ac Thyesti fuit, fratre scilicet

Aurea Agna Atrei.

invidia fraternæ felicitatis exulcerato. Unde illa citantur à Cicerone ex antiqua tragœdia Atreo, de Nat. Deor. III.

Addo huc quod mihi portento caelestem pater

Prodigium misit regni stabilimen mei,

Agnum inter pecudes aurea clarum coma.

Auream enim Agnam Thyesti puero natam, & Pausanias & Plato meminere: animalque id ex lapide impositum ejus tumulo, ejusdem rei monumentum, Pausanias idem attestatur. Esto autem hoc apud historicos. Sed felicia illa portendi ex eventis comprobatur, tunc præcipue cum Agnus natus esset vellere in fronte purpureo in villa Antonini cujusdam plebei viri, eo die atque hora, qua Geta, Antoninus inde nuncupatus, Mediolani natus est. Verum is, in cujus ædibus Agnus editus fuerat, cum Imperium Antonino ex hoc portendi audisset ab Aruspice, de se dictum putans, ne fatum propalaretur agnum statim occidit, quod omen fuit Getam, qui & Antoninus vocabatur, ut subsecutum est, ab Antonino fratre necandum esse, quod apud Aelium Spartianum, & alios habetur: usque adeo auctores ea etiam quæ nihil attinent, in usum adsciscunt suum. Eadem Oves Diadumeno nascenti Imperium portendere, cum in agris patris Oves purpureæ duodecim natæ essent, quarum una tantum varia fuerat. Et Mathematici, quos tamen hic ridet Ambrosius, eum ad eroganda multa idoneum, atque itidem ad acquirendum dicunt, qui invadente in horoscopus Ariete fuerit in lucem editus. Nam hoc animal & vellus absq; ullo dolore molestiæ deponit, & à natura facile rursum eodem vellitur.

Afinam Ove mutandam cur præceptum.

In eamdem fere sententiam Ambrosius interpretatur divinam legem, ubi Afinam Ove mutandam in sacrificiis instituta Dei jubent. Afinam quidem Animal laboriosum, Ovis vero frugi, & non parvi proventus. Fructu igitur mutandum esse laborem, dicit Dominus id sub hoc verborum velamento sibi innuens, quod uniuscujusq; laboriosi operis finis ad fructum respicere debeat. Neque tamen ignoscere esse, qui simpliciter intelligi velint præceptum hoc, ea de causa, quod Afinam sit immunda, ideoque in Ovem, quæ munda est, commutandam. Sunt qui hoc verborum involucre dicant, laborem & industriam omnem affectu simplici commendandam, per Ovem simplicitatem tantum, ut etiam superius dictum est, accipientes. Qui vero profundius rem exquirere sibi videntur, liberandam ajunt animam ab iis quæ fructum non habent, cujusmodi ea sunt, quæ solo sensu percipiuntur, cum fructus per Ovem omnino exprimat, per Afinam vero sensus ipsi materiæ simpliciter appliciti.

MULIEBRE OFFICIUM. CAP. XXIV.

Nova nupta in pelle nata quid.

Quod vero novam nuptam veteres in pelle lanata confidere jubebant, vetustum referre morem videtur, quod id vestimenti olim usui fuerit. Sed illud magis verisimile, quod hoc gestu additas, se ad præstandam lanificii operam marito pollicere viderentur. Nam ad hæc usq; tempora prærisque Italiæ locis, postero quam nova nupta mariti domum ingressa est die, illi è geniali thalamo mane prodeunti obviam propinqui sunt, colum, fufum & lanam, acum & forcem, rutabulum, peniculum, quodq; cuique in promptu fuerit instrumentum, omneque vas domesticum offerentes: quo ea muliebris haud ignara officii, se non ad delicias & voluptates, sed ad faciendam lanam, & alia quæ frugi sint curanda, venisse reminiscatur.

FOECUNDITAS. CAP. XXV.

Sane quidem Junoni regnorum & opulentia præsidi, partuumq; sospitatrici, Oves ambigua, hoc est, ut Bebius Macer ait, cum duobus Agnis atrinsecus alligatis sacrificabantur à matronis, quæ gemellos peperissent. At Siconii graves Oves Diis benevolis & fortunatis, quas ipsi *ευαειδαι* Athenienses *σεμναις* vocabant, felicitandæ rei domesticæ causa immolare consueverunt. Herculis quoque divitiarum & proventus Deo, Ovis ramis quatuor imposita pro Bove, qui se sacris surripuerat, titulus

A litasse perhibetur: unde ipse Melon, & Mellus appellatus, quod Latine diceretur Ovillus. In Pomi vero commentario plura super hoc narrabuntur.

PECUNIA. CAP. XXVI.

A hæc, licet Ovidius & alii non imperite dixerint, Pecuniam à pecudibus appellatam, quod peculium, uti superius ostensum, olim omne à gregum numero censebatur, eaque de causa Maronius Corydon divitias ostentaturus suas dixerit,

Mille mea Stulis errant in montibus Agna:

Illud tamen satis constat, æs prius nota pecudum signatum à Servio Romanorum Rege; unde Varro etiam, ut apud Marcellum est, *Unam Ovem multam distam*, ait, cum citatus neque respondit, neque excitatus est. Unum vero virili genere dixit: sive quod numum intelligeret, sive ad imitationem Homeri. Ab hoc Marcelli loco fragmentum est etiam in antiquissimo, quem Romæ vidi, codice. In commentariis tamen sacrorum Pontificalium crebro lectum ajunt, hic Ovis, & hæc Agnus, ac Porcus: quæ, inquit Pafus, non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere. Ex quibus omnibus liquido apparet, non inepte Pecudem pro divitiarum hieroglyphico accipiendam.

Ecl. 2.

Ovis masculino genere.

PHTHIRIASIS. CAP. XXVII.

Sunt qui hominem pediculositate confectum significare si velint, ovillam illi pellem inducant, quam Lupi caput impaciis dentis dilaceret: siquidem Ovium quas Lupus occiderit pelles, ac vellera, & facta ex his vestis, longe quam cætera aptiora sunt ad pediculos procreandos. Quod cum sit tum ab Aristotele, tum ab aliis receptum, quæsiere multi causam, illudq; cupediariorum experimento deprehenderunt, carnes hujusmodi quæ lupinis dentibus laceratæ fuerint, dulciores esse: quod tactum ab Horatio volunt, ubi inter ea, quæ jucundiora deliciis regis enumerat, Hædum etiam erectum Lupo recenset, quod ego tamen ad frugalitatem potius retulerim, utpote qui eo loco parvum in primis laudet, hisq; tantum carnibus fruatur, quæ aut inemptæ sint, aut nisi absumantur peritura. Vel ex eo magis jucundum, quia qui semel amissus erat, sit receptus. Sed utcumq; illi, sane dulcedinis huius causam esse dicunt caliditatem, & igneam prope vim, quæ sit in anima Lupi, utpote quæ ossa vel durissima in utero liquefaciat, ariditate, permollita, evenireque inde ut carnes facilius atque celerius putrescant, si morfu fuerint hujusmodi vitiatæ: lanasque identidem contaminatas, contagionem illam etiam in vestibus pertinaciter perservare. Cæterum sunt qui judicent hoc non à calore, vel putredine provenire, sed ab asperitate potius, & ut Medicorum utar vocabulo, Vellicativa quadam vi, quæ carnem scabritie interterat, pruritusq; suscitet: unde postmodum humanæ cutis humore corrupto, pediculi suboriantur absurdumque esse dicunt, asserere vim illam à Lupi spiritu, morfuve usq; adeo in vellera diffundi, quæ totiens abluantur, solentur, depurgentur, inungantur, defæcentur, ac propemodum excoquantur. Referunt vero venatores, & capones, animalia quæ icu uno procubuerint, uno, ut ita dicam, spiritu suffocata, solidiora, minusq; putrefactioni obnoxia reddi. Quare Homerus rerum omnium doctrina insignis, sive coria, sive lora, commendat. Bovis ea dicit esse *ὄνικτα μέγιστα*, icu quippe valido macerati. Itaq; eorum, quæ neq; morbo, neque senectate pereunt, sed jugulatione, coria validiora sunt, nervosioraque. At quæ pluribus conficiantur plagis, difficulterq; aut contanter exagitata delasataq; perimantur, præsertimque si ferro faucientur, facile putrescere, neque in alterum diem asservari posse. Eorum autem, quæ tam lenta exanimentur morte, contaminatam vim & in pelles, & in vellera, quin & in unguës penetrare: præcipue autem si mordentur à feris, unguës etiam ipsos obnigræscere, sanguine, humore & medullis etiam ipsis præ timore & cruciatu contaminatis, indiciumq; id tabis esse. Quare minime mirum, si contagio huiusmodi etiam in vellera diffuat, coriaque tentet & omnia denique computrescere compellat. Atque hinc pediculositatis significatum.

Homerus omniçius.

DISCORDIA. CAP. XXVIII.

Discordiam vero & mores maxime dissimiles Ægyptii Poetæque omnes significare cum volunt hieroglyphice, Lupum & Agnum, aut Ovem ponunt. Unde apud Horat. legas,

Lupus & Agnis quanta sortito obrigit,

Tecum mihi discordia est.

Q

Et

Ego Od. 4. Et de maxime inter se discrepantibus Ovidius ait,

Mecum.
lib. 1.
Lupi & O-
vis antipa-
thia.

Nat. Lupus inter Oves.

Ajunt vero eam esse antipathia vim, ut plerumque Agni recen-
ter nati, neque ullius animalis extra caulas effigiem intuiti, au-
dito repente Luporum ululatu exanimescant, subitarioq; eo per-
culsi metu, mortui concidant. Quinetiam periti rerum prædicant,
horum animalium inanima etiam in eadem natura disensione
perseverare. Ovillas enim fides si aliis ex lupino intestino factis
fidibus associentur, & absonas & præ metu mutas permanere. Idè
de tympanis ex ovilla pelle & lupina factis accidere tradit Oppia-
nus: simulac enim pulsantur, ovillum mutum esse, lupinum solum
exaudiri.



Arietem natu-
ra ferocem.

DE ARIETE. CAP. XXIX.

FEROCITAS.

Sed quantum in Agno mansuetudinis superius agnosce-
bamus, tantum in Ariete ferocitatis experimur: simul
enim ac cornua accreverunt, pugnacissimi fiunt, neque se
tantum in suo genere laceflunt, incurfantesque invicem
arietant, verum & homines impetunt, in bellumque pro-
vocant. Unde etiam dicitur celebratur, *κερός ἀσέλ-
ρονέως*: qua forte de causa Marti cœlestis Aries dedi-
catus: & si qua Planetis in humano corpore vis, fel à Mar-
te regi dicitur: in eo vero sedes iracundiæ, & bilis. Et
Adamantius immolatos apud Hebræos Arietes, apud nos
iracundiam jugulari debere, putat intelligendum.



BELLUM. CAP. XXX.

Sive igitur pugnacitas hæc in causa fuerit, sive sanctius
instituti homines, cum aliqua affecti essent injuria, ultio-
nis procuracionem non à se, utpote qui ex mansueto & in-
nocuo essent genere procreati, proficisci, sed ab hostium improbitate atque injusta, indicare, te-
statumque facere vellent, indicturi cuiuspiam bellum, Arietem per facialem præmittebant, quem in
hostium fines immitteret: vel honestà ita causam suam ostensuri, quod non nisi provocati bellum
gerere cogerentur: vel, quod alii malunt, ut hostilem agrum suæ jam prædæ expositum indicarent.
Utcunq; sit, Aries, ut ait Hesychius, *vexilli nostri, hoc est Crucis, hieroglyphicum est, Crux vero redem-
ptionis: Aries ille, inquam, qui pro Isaac in holocaustum oblatus est, in virgulto Sabech, ut Septuaginta
ediderunt, à cornibus religatus. Sabech vero Remissio interpretatur, quia Crucem, quæ remissionis
virgultum fuit præmonstrabat.*

RIVALITAS. CAP. XXXI.

Sunt, qui rivalitatem hieroglyphice per Arietes duos cornibus
se invicem laceflentes significari dicant, quandoquidem in e-
jusmodi concertationem amoris causa ferri eos perhibent:
quippe qui offensionem intelligant sibi fieri, si quas amant Oves,
ab aliis saltri conspexerint, quod Hirci plurimum negligentes,
fasque deque ferre solent.

VENUS. CAP. XXXII.

Aries libi-
cæ hiero-
glyphicum.

In hujusmodi vero Venerei affectus hieroglyphicum Aries mul-
tis est veterum monumentis impostus. Nam qui ante Co-
rinthi urbem intra priores pedes Leænæ, quæ Laidis tumulo im-



posita

A posita erat, visebatur, libidinem nimirum ejus meretricis indicabat. Erat & apud Eleos in templo Veneris simulacrum ejus insidens Arieti, Scopæ, ut Pausanias ait, opus, eique cognomen erat πανδημιον, quod arietinæ procacitati videtur convenire.

VETULIPETA PROCUS. CAP. XXXIII.

N Am quantum ad Arietis libidinem attinet, per eum ita in nequitiam concitatum, hominem, qui vetularum concubitu, assectaretur, nonnulli notandum censuere: quod is primum vetustiores feminas inire consueverit, quarum facta copia novas minime persequatur.

SALUBRITAS. CAP. XXXIV.

Mercurium autem ajunt apud Tanagræos cum Ariete humeris insidente solum esse, eumque κροφόγγυ Pausanias ait appellatum. Erat id partæ salubritatis hieroglyphicum, quandoquidem Mercurius expiatione Arietis, quem circum urbem gestaverit, pestilentiam, quæ Tanagræos invaserat, sustulisse dicitur: in cujus facti memoriam, die ejus festo pulcherrimus quispiam ex Tanagræa juventute delectus, Arietem humeris impositum frequentissima totius civitatis pompa, circum mœnia gestare consueverat.



Mercurius cum Ariete quid.

CUSTODIA. CAP. XXXV.

A pud Corinthios vero Anæum Mercurii simulacrum visebatur, cui Aries adfistebat. Causam fuisse Pausanias dicit, quod Mercurium maxime omnium deorum custodire greges, proventusque ex eis augere persuasum sit. Sedenim cum ita Mercurio sacundia Deo præfidi Aries apponatur, maximumque humanæ vitæ præsidium sit oratio, ut comici Græci dixerunt, est, minime mirum, si Isocratis Rhetoris sepulchro Aries triginta cubitorum adsculptus fuit, in quo Siren cubitorum septem insideret: nam ea quoque orationis suavitatem indicabat. Et ferunt Astrologi, Mercurium in Ariete collocatum, orationis promptitudinem, & ex tempore dicendi facultatem dare. Sed ne ab Isocratis sepulchro discendam, prope etiam mensa apposita, quæ Poetas haberet ac ejusdem præceptores, in quibus & Gorgias astronomicam spheram inspectabat, & Isocrates ipse omnifariæ doctrinæ hauriendæ cupidus adfistebat.



HAMMON. CAP. XXXVI.

I N Salonina numo Aries est cum inscriptione, HAMMONI CONS. AUG. Animal enim hoc in veterum sculpturis frequentissimum habetur, præcipueque Hammonem Deum, specie illa sua reciprocicorni (ut Laberii dictum usurpem) significabat. Hunc vulgus Jovem, Ægyptii Solem esse contendebant: cornuaque radios ostentare, de quibus alibi locupletius. Spectare tamen est in Gallieni numo Arietem inscriptione addita, JOVI CONS. AUG. Hammonem vero veteres salutis Deum, uti Latini Jovem adjuvando dictum, interpretabantur, exque arietino capite eundem Deum, qui omnium salutis prospiceret, ἰσοφύμων; intelligebant. Hecæatus Abderita Ægyptios ait Hammonis voce usos, cum se invicem salute præposita compellarent, allocutoriamque esse vocem, qua boni omnium causa Deum in-

Gallieni numus. De cujus oraculo à Gell. lib 3. c. 3.

D primis ita venerarentur. Isque mos in plerisque nostræ pietatis collegiis observatur, ut quicumque pulnaverit, non prius ad colloquium admittatur, quam ad Virginis Deiparæ salutationem responderit. Cumque veterum mos esset, in mortuorum conditoriis bene detunctis ominari, eos Diis manibus commendabant: alii columnas, quæ sepulchris erigebantur, inscriptionis hujusmodi loco, arietinis capitibus hinc inde adsculptis insignibant, corymbis intermedio propendentibus, qui foliorum & fructuum varietate lascivirent. Sed quod ad Hammonem attinet scriptores rerum parvula quædam cornua in utroque tempore eum habuisse ferunt. Qui vero penitentiorem doctrinam perstrutati sunt, proprium id Jovis nomen apud Ægyptios fuisse tradunt. Alii dicunt arietinum caput ideo Hammonis esse signum, quod Ægypti rex, præclaris admodum rebus à se gestis, in galea usus sit arietini capitis insigni. Ajunt & cum Herculi illi vetustissimo ad eum visendi studio profecto se olim ostentaret arietino capite, quæ mactaverat,

Hammon arietino capite.

*L'aride de
la toison
proor.*

verat, vertici suo imposto, & pelle ea villosa circumdatum, alia pelle amictum Heroem admisit. Et Saporis Regis gestamen celebrat Ammianus, Aureo capitis aretini figmento elaboratum. Quod & insigne militiæ, & quasi fodalitatis cuiusdam suæ, recentissima memoria Carolus fortissimus Burgundionum Dux, Caroli V. Imperatoris avus adscivit, aureum Arietis caput singulis pro gestamine imponendo, & Arietini capitis cognomento fodalitatem vocando, eam Tottionis aurei vulgo appellarunt, quod ea locutio caput arietinum lingua patria designaret.

DEGUSTATIO. CAP. XXXVII.

*De Ariete
signo cale-
sti.*

Sed ut hæc, quamvis ad vetustatis imaginem, usumque facta, misla faciamus, appellat nos Aries ille toto cælo conspicuus, qui rerum temporumque divisionem, æquasque utrorumque portiones ostentat: uniformem toto anno diei noctisque partitionem, augmentum & decrementum æquilibrio semper appensum. Cur vero Aries huic sit dispensationi præfectus, ea affertur causa: quod proprium illi esse ajunt ab æquinoctio verno super dextrum latus incubare, veluti Sol quoque ad Septemtrionales, quippe dexteram ut Ægyptii statuunt, mundi regiones descedit: ab Autumnali vero æquinoctio sinistro incubat lateri, veluti etiam Sol in lævam declinare, & Australia signa occupare conspicitur. Pari propemodum ratione malorum semina ipsis fructibus inclusa, brumali die spontaneo motu converti in contrarias partes observatum: quippe quæ peracto jam omni maturitatis numero, natura opifrice, quæ rerum omnium alrix est, retro cedere, & ad radicem, ad propaginem, ad specierum earundem progenerationem tendere videantur.

PRINCIPIUM ANNI. CAP. XXXVIII.

Apud Astronomos Aries pro Anni principio capitur, & eo notatur hieroglyphico, variaque est ingeniorum sedulitas istius rei rationem asserere conantium: Hebræis præsertim nonnullis Libram potius caput asserentibus, quod par fuerit omnia perfecta, & seminibus facta summo ab opifrice creati, eo vero tempore fruges omnes maxime maturuisse. Quod vero Aries inde locum occupaverit, ex lege factum ad illius temporis solemnitatem celebrandam, quo liberati sunt ex Ægypto. Sed quod ajunt tunc temporis nonnulli, quo mundus est genitus, Arietem cæli medium tenuisse: in mundi quippe vertice constituisse, quisnam id potuerit conjectare non video, cum in spherica cæli figura neque vertex, neque imum, neque ortus, neque occasus, qui eodem temporis articulo sint, iidem eodem momento gentibus omnibus dari potuerit. Nam nisi omnibus ea ratio gentibus inferviat, admittenda non est. Solem vero qui dicat in hoc vel illo signo fuisse, nemo non intelligat. Astronomi quidem fuisse in Ariete volunt, & Virgillii doctrina non parvam his auctoritatem adjungit, dum ita super verni temporis amenitate canit:

Georg. lib. 2.

*Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus habebat
Orbis, & hybernis parcebat flatibus Euri,
Cum primum lucem pecudes hausere virumque
Terrea progenies duris caput extulit arvis,
Immissæque fera silvis, & sidem celo:
Nec res hunc tenera possent perferre laborem,
Si non tanta quies irret, frigusque, caloremque,
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.*

Quod vero Commentarii hujus finem Virgiliani carminis amenitate condire quaesierim, optime Lactanti, non inepte me fecisse arbitror, qui te forte gregalium rusticitate, styloque modoque pastorali, virum tam elegantem, offensum & delassatum suspicabar. Tu quicquid id fuerit, ut omnia amicorum soles, boni consule, & Pierium virtutis doctrinæque tuæ deditissimum, ut facis, ama.